Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

attingit. vel illa que vicinitas experitur, iudicamus.
Invitatus Badegiselus Cynomannorum episcopus quodam loco dyocesis sue ad basilicam beati viri in nomine et reliquiis consecrandam. Ubi postquam celebrata sunt sollempnia consecrationis, invocantes nomen sancti Martini duo paralytici gressum, cecusque unus visum recepit.

Augustus autem quidam civis urbis turonice, diu nimium renum dolore laborat. contractis pedibus et ipse adipos reductis renes pessime debilitatus. In qua infirmitate cum per duorum annorum curricula laborasset, deinde aliis commonitus basilicam sancti expetiit. ibique per IIII. dies ieiunans et orans, depulso dolore directisque pedibus sanus abscessit.

Hoc tempore et mulier quedam cum discedentibus paribus sola tantum remansisset ad telam. apparuit ei sedenti umbra deterrima, que arripiens puellulam trahere cepit. At illa vociferans et plangens cum nullum aspiceret auxilium, viriliter tamen resistere conabatur. Post decursa vero duarum aut trium horarum spatia regresse mulieres reliquae invenerunt eam semivivam humo iacentem. nichil penitus loqui posse. Innuebat quidem illa manu, sed nichil intelligentibus hec muta permansit. Umbra vero que apparuerat, inter hominibus domus illius insidiata est. ut relinquentes locum alibi commigrarent. Et duorum vero aut trium mensium dies decursos, ad basilicam puella veniens, eloquium recipere meruit. sicque cuncta que pertulerat ore proprio enarravit.

Igitur Catalaunensis diaconus cum interea quam alii matutinas gratias celebrabant potum hauriret oculorum amissione multatur. recognoscensque reatum suum et se non dignam proposito rem gessisse, suspenditur a cibo potuque; pernoctans in vigiliis orationi assistens. Interea dum hec ageretur fama que totum late complexit orbem, ad eius aures usque pervenit, esse apud Turonis Martinum antistitem. ad cuius sepulchrum sepe talium infirmitatum clades depulsa quiesceret. Nec moratus diaconus, sed ilico iter institui iubens ad basilicam sanctam non dubius devote beati viri pervenit. ibique prostratus solo orationi subnixus, die tercia apertis oculis lumen recepit. Ego vero diu prea nitor extorquere veritatem cur ei hec evenissent, hec ab eo didici. Ante hos inquit VII. menses dum commoto matutinis signo ecclesiam peterem, obvium habui unum amicorum meorum. in cuius amplexus et oscula ruens. sciscitare cepi si cuncta domum prospera reliquisset. Tunc revocatus a via potum cum eodem haurirem cepi. Postquam autem caritatem per pocula explevisse visum est valedicens discessit. Quo abeunte tanto oculi mei glutino coniuncti palpebris adheserunt, ut eos nullatenus aperire possim. Denique cum in hac infirmitate tristis abirem, desiderium habui sepulchrum beati antistitis adire. Die autem tercio postquam veni cum ei sepulchro assisterem, subito febris magna oculos meos arripuit. At ego ingemiscens vehementer cepi et sancti auxilium fortiter deprecari. Ilico autem erumpens ex oculis meis sanguis, noctem repulit diemque reduxit. Hec nobis diaconus effatus, incolomis remeavit ad propria.

Erat mulier quedam ceca que contractis retro suis manibus cum parentum solatio celebrare beatam sollempnitatem gloriosi antistitis expetivit. Que cum die tercia post decursam festivitatem ad domum redire cuperet prostrata in sanctam basilicam orare cepit, ut ei dominus solitam misericordie sue opem dignaretur ostendere. Quod dum lacrimis peteret, ilico directis manibus ac pedibus stabilitis ad sanctum adducta sepulchrum gratias pro accepta sospitate peregit. Post hec rogat se deduci ad ostium, ubi prostrata iterum dicit suis. Non hinc consurgam, nisi prius mihi lumen oculorum reddat, qui manuum pedumque restituit usum. Hec ea dicente subito energuminum torqueri se proclamantem, et Martinum adesse presentiam confitentur. Sed dum diabolus qui ab initio mendax est ad credendum minime admittitur, rebus ipsis viri presentia declaratur. Nam femina hec que paulo ante directa fuerat, nec illuminata adesse beatum antistitem approbavit.

Modico autem succedente spatio iacebat paralyticus unus in grabbato, qui ex Biturigo plaustro devectus advenerat; ipse autem pari modo virtute beati antistitis visitatus surrexit incolomis. suisque redditur gressibus parentum spectante caterva sanus excipitur.

His diebus puella quedam iam exlibris parentibus procreata. a filius patrum confracta libertate ad iugum servitutis addicitur. Unde factum est ut illa non acquiescente iniustis dominis quecumque operis exercere catenis et compedibus vinceretur. In qua custodia dum aliis beatam festivitatem expetentibus resideret flens et eiulans cur non interesset beate festivitati, subito trabes in qua pedes eius artati erant scinditur. et hec quasi iam libera, nexa quidem catenis et lapsa beatam basilicam expetivit. Verum ubi primum pedes eius sacra limina contigerunt. statim confracte catene ceciderunt a collo eius et sic incolomitati pariter libertatique donata est.

Quid si ad ipsa beate vite scripta recurram? numquid non erit admirabile quod sacer huius hystorie liber circumdatus flammis nec combustus est nec adustus. Monachus quidam maioris monasterii ex iussu abbatis ad cellulam aliam quasi quoddam operaturus accessit. ac pro salute anime et vite correctione librum vite beati antistitis secum detulit. Adveniente vero nocte in lectulum se diutino completum stramine collocat librum ad caput locans. Cui dormienti apparuit vir per somnium dicens. Noli dormire in his paleis.

183